

Seraphim autem facies sedentis supra thronum et pedes eius
 velare dicuntur quia mysterium eterne diuinitatis et future bea-
 titudinis et miserie ad plenum non reuelantur sed duabus alis
 volabant quia de hijs que medio tempore agunt nos quantum opus est
 mysterio angelorum instruuntur. in quibus seraphim premarum te-
 nent. Quorum quod volat per processum reuelationis eorum in nos
 demonstrat. Sic igitur magister breuiter et subtiliter epilogat
 specialiter quantum ad ultimam partem huius quarti libri dicens si-
 bi sufficere commemorasse predicta de pedibus sedentis manentis
 in maiestate trinitatis super solium excelsum. id est de hijs que
 sunt in tempore iudicii quos pedes seraphim duabus alis ve-
 labant et eorum mysterio non sunt ad plenum reuelata. Secundo
 epilogat generaliter quantum ad totum librum processum di-
 cens quia ipse exorsus et incipiens a facie sedentis super so-
 lium excelsum. id est ab ipsa deitate trinitatis de qua in primo
 libro egit procedit per media que de duracione mundi aguntur
 que sunt creature et peccata de quibus egit in secundo. Re-
 paratio et virtutes de quibus egit in tertio libro. et ecclesi-
 astica sacramenta de quibus egit in prima parte huius quarti li-
 bri. duce christo que est via perueniendi usque ad pedes. id est usque
 ad ea que in fine mundi et etiam que post mundum a-
 guntur. sicut resurrectio corporum. purgatio damnatorum et glo-
 ria bonorum que in dilectione et cognitione de consistit.
 ut sic a deo incipiens eius doctrina terminet in deo qui
 est causa a qua omnia et finis ad quem omnia ordinantur.
Qui est honor et gloria tecum et imperium in secula seculorum Amen.

Replicunt conclusiones libri sententiarum per sa. The-
 ophilum eximium magistrum Henricum Borickem diligentem collecte.